

# INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

## *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (35)*

### 4.12.2.2. De quaestione linguarum

In priore capitulo iam commemoratum est quaestionem linguarum in Germanicā coloniā Africae Orientalis fuisse alicuius momenti. Haec vero quaestio effectum quōque exseruit in institutionem scholarem et publicam et missionariam. Itaque in hōc problema breviter incumbendum est.<sup>1</sup>

Quaestio autem linguarum, id est quae lingua officialiter et magnā ex parte esset adhibenda, omnibus in coloniis erat alicuius momenti, sic etiam in coloniis Germanicis. Scilicet hac in re imprimis agebatur de quaestione, num Africanos esset lingua Theodisca docenda et quo modo extento (vel non extento) Africani linguam Theodiscam discerent.

Inde iam apparet totum problema artē cohaerere cum latiore conexū, quo eruditio scholaris magis magisque progrediebatur. Tamen lingua atque cultus civilis semper sunt res interdependentes, quā de causā linguam quandam addiscere directē coniunctum quōque est cum illo cultū civili, ad quem lingua

---

1 De hac quaestione fusius *cf.* ex. gr. Ann BRUMFIT: The Rise and Development of a Language Policy in German East Africa. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 219 sqq.; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? Zur Sprach- und Religionspolitik in Deutsch-Ostafrika. In: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.): Sprachgrenzen - Sprachkontakte - kulturelle Vermittler. Kommunikation zwischen Europäern und Ausser-europäern (16.-20. Jahrhundert). Stuttgart 2010, pp. 281 sqq.; Wolfgang MEHNERT: The language question in the colonial policy of German imperialism. In: Thea BÜTTNER / Gerhard BREHME (edd.): African Studies. Dedicated to the III<sup>rd</sup> International Congress of Africanists in Addis Abeba. Berlin 1973, pp. 383 sqq.; Christel ADICK: Muttersprachliche und fremdsprachliche Bildung im Missions- und Kolonialschulwesen. In: Bildung und Erziehung 46, 1993, pp. 283 sqq.; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT: Deutsche Missions- und Kolonialpädagogik in Dokumenten. Frankfurt/M / London 2001, pp. 257 sqq. - Hōc problema etiam explicat Juhani KOPONEN: Development for exploitation. German colonial policies in Mainland Tanzania, 1884-1914. Helsinki / Hamburg 1995, pp. 510 sq.; J. CAMERON / W.A. DODD: Society, School and Progress in Tanzania. Oxford / New York 1970, pp. 54 sqq.; A.R. THOMPSON: Historical survey on the role of the Churches in education from pre-colonial days to post independence. In: Allan J. GOTTFREID (ed.): Church and Education in Tanzania. Nairobi 1976, pp. 19 sqq.; Johanna EGGERT: Missionsschulen und sozialer Wandel in Ostafrika. Bielefeld 1970, pp. 63 sqq., pp. 81 sqq.; Martin SCHLUNK: Das Schulwesen in den deutschen Schutzgebieten. Hamburg 1914, pp. 78 sqq.; John ILIFFE: A Modern History of Tanganyika. Cambridge / London / New York 1979, pp. 79 sq.

pertinet.<sup>2</sup> Itaque numquam agebatur tantummodo de deliberationibus paedagogicis atque didascalico-psychologicis, sed magnā ex parte etiam de variis argumentis politicis.

In coloniā autem Africae Orientalis - aliter ac in aliis coloniis - problema maiorabatur atque magis intricatum erat, quia ibīdem lingua Swahilica etiam erat alicuius momenti.

Lingua Swahilica linguis Bantu gentium adscribitur.<sup>3</sup> Eadem, cui etiam elementa Arabica atque Europaea aliaque sunt, originaliter tantummodo in regione litorali Africae Orientalis adhibebatur ab incolis litoris.<sup>4</sup> Tamen haec lingua iam satis mature aliquatenus extra limites regionis propriae extendebatur. Nam in Africā Orientali longa traditio negotiationis inde ab litore in regiones interiores exstabat, quā de causā mercatores ex litore venientes linguā Swahilicā utebantur.

Sed etiam homines quidam ex regionibus interioribus territorii ad litus vēnērunt, ut ibīdem operarentur<sup>5</sup> vel etiam merces venderent. Hunc in modum lingua Swahilica iam paululum regionem suam transgressa est.<sup>6</sup> Nihilominus in regionibus interioribus nondum nimis multi homines erant, qui linguā Swahilicā loquebantur. Tamen initia iam facta erant, quibus decursū temporis condicio paulatim mutaretur, cum praeter negotiatores etiam Europaei ex-

---

2 Hunc conexus sic etiam vident Christel ADICK: Muttersprachliche und fremdsprachliche Bildung. *In*: Bildung und Erziehung 46, 1993, pp. 284 sq.; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), pp. 258 sq.

3 De explicationibus *cf.* ex. gr. Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 228 sqq.; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? *In*: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), pp. 281 sq.; A.R. THOMPSON: Historical survey. *In*: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1974), p. 25; Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 79; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 257.

4 Ut Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? *In*: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), p. 282 explicat, verbum, quod est «Swahili», originem Semiticam habet et tantummodo ad parvam regionem refert. Verbum autem, quod est «*as-sawāhilī*», significat «*incolam litoris*».

5 Fortasse imprimis de baiulis cogitandum est.

6 *Cf.* A.R. THOMPSON: Historical survey. *In*: Allan J. GOTTNEID (ed.) (1976), p. 25; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 262; Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 234; Christel ADICK: Muttersprachliche und fremdsprachliche Bildung. *In*: Bildung und Erziehung 46, 1993, p. 290. - John ILIFFE (1979), p. 79 asseverat linguam Swahilicam non fuisse «*linguam internationalem*» iuxta vias mercatorias adhibitam, sed solum linguam, quae ad negotiationes cum mercatoribus litoralibus faciendas adhibebatur.

ploratores atque missionarii ut instrumento loquelari alicuius momenti hac linguā utebantur. Sed nondum de verā linguā transtribali atque intertribali loqui possumus.

Nihilominus iam tempore, quod erat ante coloniam instructam, usus linguae Swahilicae aliquā ex parte firmatus est. Nam hac in re societates missionariae, quae in Africā Orientali iam operabantur, erant magni momenti. Primae, quae in illo territorio laborare coeperant, erant inde ex anno 1868° Francogallica societas Patrum Spiritūs Sancti catholica, inde ex anno 1875° Anglica societas Anglicana, quae «Universitatum Missio Africae Centralis» appellatur,<sup>7</sup> inde ex anno 1876° Anglica «Ecclesiastica Societas Missionaria»<sup>8</sup> Anglicana et inde ex anno 1878° Francogallica societas «Patrum Alborum» catholica.

Illae primae societates variis ex causis linguam Swahilicam ut linguam primariam ad euangelizationem atque ad educationem elegerant.<sup>9</sup> Sic exempli gratiā per multos annos initiales stationes centrales et Patrum Spiritūs Sancti et «Universitatum Missionis Africae Centralis» in Zanguebariā erant sitae, ubi lingua Swahilica erat sermo communicationis. Deinde, postquam Patres Spiritūs Sancti in continentem quōque transmigravērunt, diu eorum unica statio ibīdem in oppido Bagamoyo iuxta litus sita erat, quā de causā usus linguae Swahilicae nullas difficultates praebuit. Similiter primae stationes «Universitatum Missionis Africae Centralis», quae in continenti conditae erant, paulo longius quidem a litore sitae erant, tamen erant in propinquitate vetrum viarum, quae ad negotiationem servorum spectabant. Eā de causā etiam iidem linguam Swahilicam in institutione scholari adhibere perrexerunt.<sup>10</sup> Itaque quaestio linguarum ante adventum Germanorum non erat causa disputationis. Sed antequam Germani advēnērunt, iam ex viginti annis in conexibus variis fundamentum quoddam satis solidum usūs linguae Swahilicae positum erat.

Cum Germani in Africā Orientali coloniam instituere inciperent, imprimis necessarium erat, ut administratio efficax ordinataque conformaretur. Ad hunc conexum schola quōque pertinebat, cum eruditio quaedam Africanorum

---

7 «Universities' Mission to Central Africa» (UMCA).

8 «Church Mission Society» (CMR).

9 De hac re *cf.* ex. gr. Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 231 sq.

10 Emolumentum huius modi agendi etiam erat in eo, quod labores, qui in textibus vertendis exstabant, minuebantur, cum tantummodo ad linguam Swahilicam spectabant.

hac in re esset alicuius momenti.<sup>11</sup> Sub utroque autem aspectū quaestio linguarum ponenda erat. Nam interrogabatur, num lingua Theodisca docenda esset et si docenda esset, utrum esset lingua institutionis an tantummodo materia docenda, et praeterea utrum lingua institutionis esset vernacula localis an lingua Swahilica.

Tres vero partes responsales, cum agatur de linguis adhibendis, distinguendae sunt, nempe primo régime Imperii Germanici, secundo régime coloniale Africae Orientalis et tertio societates missionariae varii generis. Sed sub hac condicione tota res magis intricata reddita est. Nam ad quaestionem, quā linguā liberi Africani docendi essent et quae lingua in territorio magis dissipanda esset, varia responsa dabantur, quae tamen dependebant de diversis perceptionibus politicis, realibus, religiosis ideologicisque. Inde iam apparet inter singulas partes et etiam intra easdem dissensiones quasdam expectandas fuisse.

Iam primae duae factiones, id est politici administratoresque in ipsā Germaniā et in coloniā Africae Orientalis non omnino inter se consentiebant. In Germaniā ipsā magnae disputationes de quaestione linguarum, quae in coloniis adhibendae erant, exortae erant.<sup>12</sup> Etiam hic variae factiones exstabant. Nam erant ii, qui strictissime putabant omnino necessarium esse, ut in coloniis lingua Theodisca atque modus vivendi Germanicus firmas radices exsereret, id est «Germanizationem» coloniarum optandam esse. Quā de causā iidem etiam existimaverunt officium scholae esse in eo, ut lingua Theodisca doceretur atque dissiparetur. Alterā ex parte erant ii - inter quos praesertim repraesentantes missionis euangelicae -, quibus pondus linguae vernaculae indigenarum erat maximi momenti. Eorum autem argumenta spectabant magis ad euangelizationem, cum dicerent fidem Christianam solum proprietatem alicuius populi fieri posse, cum eādem locali linguā vernaculā illius populi proferretur.<sup>13</sup> Denique erant tales, qui ex causis politicis ideologicis-

---

11 De scopis, quos régime coloniale scholis suis habuit, *cf.* supra cap. 4.12.2.1.

12 De hac condicione *cf.* ex. gr. Juhani KOPONEN (1995), p. 510; A.R. THOMPSON: Historical survey. *In:* Allan J. GOTTFNEID (ed.) (1974), p. 25; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), pp. 257 sqq.; Ann BRUMFIT: Language Policy. *In:* Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 240 sqq.; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? *In:* Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), p. 289; Johanna EGGERT (1970), pp. 87 sqq.

13 De his variis opinionibus *cf.* ex. gr. Ann BRUMFIT: Language Policy. *In:* Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 240 sq.; Juhani KOPONEN (1995), pp. 510 sq.; A.R. THOMPSON: Historical survey. *In:* Allan J. GOTTFNEID (ed.) (1974), p. 25; Martin

que se vertērunt contra institutionem linguae Theodiscae nimis amplam, profundam nimisque frequentem. Putaverunt enim potestati Germanorum esse periculosum, si Africani linguam Theodiscam scirent, quia unā ex parte omnia (etiam arcana), quae Germani inter se loquuntur, intellegent, alterā ex parte ii tali scientiā etiam acta diurna Theodisce scripta legere valerent, quibus etiam ideae socialisticae divulgantur.<sup>14</sup> Praeterea hōc in conexū argumenta proferebantur, quibus dicebatur Africanos linguā Theodiscā sibi acquisitā se Germanis aequales sentire, id quod neque eorum promptitudini laborandum neque stabilitati regiminis esset opportunum.<sup>15</sup> Talia autem argumenta sunt significantia, cum agatur de spiritū temporis et de cogitandi modo hominum, qui nimium nationalismum colebant.

Nihilominus plerique illorum, qui disputationes dissensionesque participaverunt, generaliter non nimis profundam scientiam coloniarum habuerunt, specialiter vero condiciones Africae Orientalis non respiciebant, quae quoad linguas paulo aliter se habebat ac in reliquis coloniis. Itaque politici repraesentantesque consociationum condiciones, quae in aliis coloniis valebant, in Africā quōque Orientali esse easdem saepe putabant, quā de causā plerique in linguam Theodiscam docendam atque publice adhibendam insistebant.<sup>16</sup>

In ipsā autem coloniā Germanicae Africae Orientalis etiam tales disputationes, quae spectabant ad linguas adhibendas, habebantur, tamen non simili vehementiā quam in patriā. Nam coloniae gubernium eiusque administratores condiciones in ipso territorio vigentes ante oculos habebant, quā de causā

---

SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 80; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 259; Christel ADICK: Muttersprachliche und fremdsprachliche Bildung. *In*: Bildung und Erziehung 46, 1993, pp. 290 sq.

- 14 Hōc in conexū non cogitabatur de condicione, quā homines intellegentes mero commercio cottidiano - sine institutione systematica - scientiam linguae Theodiscae sibi acquirere valuerunt
- 15 De huiusmodi argumentis referunt ex. gr. A.R. THOMPSON: Historical survey. *In*: Allan J. GOTTFREID (ed.) (1974), p. 25; Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 259 sq.; Wolfgang MEHNERT: Language question. *In*: Thea BÜTTNER / Gerhard BREHME (edd.) (1973), pp. 388 sq.; Christel ADICK: Muttersprachliche und fremdsprachliche Bildung. *In*: Bildung und Erziehung 46, 1993, p. 291; Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), pp. 92 sq.
- 16 Scitū digna hōc in conexū mihi videtur esse adnotatio, quem Martinus SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 89 protulit. Idem enim dixit sibi firmiter persuasum esse post nonnulla decennia problema phylethicum quasi in centro futurum esse. Et Germanis non putare licere indigenas eā de causā, quia linguam Theodiscam intellegere atque eādem loqui docti essent, in partem hominum alborum tractos esse.

viam paulo aliam sequebantur. Alia enim est res in patriā praecepta atque mandata proferre, alia vero in ipso loco specialibus condicionibus vigentibus eadem convenienter ad effectum adducere.

In Africā enim Orientali res magis intricata erat, cum ibīdem non solum ageretur de electione inter linguam Theodiscam et «linguam vernaculam» sive linguam indigenarum. Nam in Africā Orientali lingua vernacula, quā omnes indigenae unanimiter utebantur et quae toto in territorio sine exceptione sive paucis exceptionibus admissis adhibebatur, non exstabat. Revera in hōc territoriō plures quam centum locales linguae vernaculae erant in usū.<sup>17</sup> Dicunt autem periti Africam Orientalem esse regionem linguistice maximo opere diversam totius Africae, nihilominus nonaginta quattuor centesimas omnium linguarum vernacularum, quae ibīdem in usū sunt, fundamentum quoddam linguae Bantu habere. Una ex illis indigenarum linguis erat lingua Swahilica, quae tamen - uti supra commemoratum est - variis ex causis in territorio dissipari iam coepta erat. Cum autem lingua Swahilica esset ipsa ex linguisticā familiā Bantu exortā, verisimiliter eā de causā etiam facilius erat eandem toto in territorio paulatim magis magisque dissipari atque ab plurimis hominibus adhiberi.

Itaque quaestio linguae Swahilicae toti problemati addita est. Gubernium autem coloniae hac in re ab initio modum procedendi aliquatenus specialem suscepit.<sup>18</sup> Nam linguam Theodiscam ut officialem communicationis linguam omnium incolarum Africanis imponere non videbatur opportunum et talis modus procedendi primis annis certe omnino inefficax fuisset. Hōc satis celeriter animadvertebatur, postquam prima conamina ad linguam Theodiscam instituendam facta erant.

Sed qualis sermo ex illis minimum centum linguis vernaculis parvisque potuit eligi atque ut lingua officialis institui? Verisimiliter Germanis illo

---

17 *Cfr* ex. gr. Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 228; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? *In*: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), p. 284. - Nonnulli de centum viginti et pluribus linguis vernaculis loquuntur.

18 De gubernii modo hac in re se gerendi *cfr* ex. gr. Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 261 sqq.; Juhani KOPONEN (1995), p. 511; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), pp. 56 sq.; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 262; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? *In*: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), pp. 287 sqq.; Wolfgang MEHNERT: Language question. *In*: Thea BÜTTNER / Gerhard BREHME (edd.) (1973), p. 392; Horst GRÜNDER: Christliche Mission und deutscher Imperialismus. Paderborn 1982, pp. 235 sq.; John ILIFFE (1979), pp. 208 sqq.

tempore hōc in conexū insuper plenus conspectus deerat. Nihilominus animadverti potuit nullam linguam localem praedominantiam habuisse. Itaque coloniae gubernium id fecit, quod rationabiliter faciendum esse videbatur, nempe ad linguam Swahilicam se convertit, quae iam in eo erat, ut extenderetur dissipareturque.<sup>19</sup> Ergo nihil aliud fecit ac progressum incohatum, quem mutare non iam potuit, in emolumentum suum adhibere. Praeterea, cum imperium Germanorum primo praesertim iuxta litus constituebatur, «lingua litoralis», ut ita dicam, id est lingua Swahilica erat in promptū.

Instrumentum autem praecipuum, quo praeter alias res linguae quōque adiscebantur, erat institutio scholaris. Cum primae scholae regiminis, quae dicuntur, in oppidis litoralibus conderentur, et sic earum primi discipuli atque primi magistri Africani ex hac regione exoriundi essent, ibīdem necessitatis atque utilitatis causā sermo scholaris, id est lingua institutionis habendae erat lingua Swahilica.<sup>20</sup> Haec lingua tamen etiam erat lingua «extranea» addiscenda illis discipulis, qui ex regionibus interioribus territorii venerant. Itaque lingua Swahilica in scholis materia quōque institutionis erat. Nihilominus in scholis regiminis praeterea etiam lingua Theodisca promovebatur atque docebatur. Sed éadem solum erat materia docenda, non adhibebatur ut lingua institutionis habendae. Itaque in ipsis institutionibus iuxta alias materias linguae Theodiscae non nimis loci praebatur neque erat in votis linguam Swahilicam linguā Theodiscā substituere. Si tardissime inde ex anno 1908<sup>o</sup> constitutum erat, ut institutio linguae Theodiscae solum illis discipulis praeberetur, qui optimā indole praediti essent.<sup>21</sup> Generaliter vero institutio linguae

---

19 Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 253 deliberat, num electio linguae Swahilicae ut linguae repraesentativae Africae Orientalis factae fuerit actio fortasse praecipitans. Nam putat Germanos cultum civilem litoris eiusque linguam, id est Swahilicam, condicionem magis typicam quoad totum territorium existimavisse quam decuerat.

20 De quaestione linguarum in scholis regiminis *cf*r ex. gr. Juhani KOPONEN (1995), p. 511; J. CAMERON / W.A. DODD (1970), p. 57; Johanna EGGERT (1970), p. 90; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 262; Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 255 sqq.; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? *In*: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), pp. 284 sqq.; Christel ADICK: Muttersprachliche und fremdsprachliche Bildung. *In*: Bildung und Erziehung 46, 1993, p. 290.

21 *Cfr* ex. gr. Juhani KOPONEN (1995), p. 511; Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 267; Wolfgang MEHNERT: Language question. *In*: Thea BÜTTNER / Gerhard BREHME (edd.) (1973), p. 390; Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 89.

Theodiscae secundum voluntatem responsalium coloniae praesertim ad classes superiores et ad scholas provectiones spectabant.

Cum autem gubernio scopus esset, quo scholis regiminis certus numerus Africanorum erudirentur ad administrativa munera inferiora et publica et privata explenda atque ad futuros magistros scholarum publicarum instruendos,<sup>22</sup> institutione Swahilicā haec lingua decursū temporis magis magisque in toto territorio dissipabatur.<sup>23</sup> Hunc in modum scopus paedagogicus atque scopus politicus manifeste cohaerebant. Nam gubernium coloniae linguam Swahilicam reddere studebat communem linguam communicationis,<sup>24</sup> quia inde plura emolumenta eventura sperabat,<sup>25</sup> nempe praeter alia administrationem fore toto in territorio uniformem, pecuniae parci in re scholari missionariāque, systema scholare magis in unum redigi posse, communicationem cum indigenis facilitari, Africanos auxiliores administratorios facilius omnibus in locis operari posse, et sic porro.<sup>26</sup>

Tertia autem factio praeter régime Imperii atque Africae Orientalis gubernium coloniale scilicet erant societates missionariae in Africā Orientali operantes, quae tempore coloniae Germanicae erant satis multae. Eaedem vero in rebus scholaribus, quod attinet ad numerum scholarum discipulorumque multo maiorem effectum exseruerunt quam scholae regiminis. Itaque etiam in quaestione linguarum earum perceptio rei atque modus progrediendi non sunt neglegendi, cum essent maioris momenti.

---

22 De hac re fusius *vide* supra cap. 4.12.2.1.

23 Tamen hic processus scilicet non erat unius diei. Scitū dignum est Martinum Schlunk variis locis de hōc processū loqui dicens «linguam Swahelicam esse in eo, ut communis lingua scholaris atque communicativa fiat» (ex. gr. Martin SCHLUNK: Die Schulen für Eingeborene in den deutschen Kolonien. Hamburg 1914, p. 143; Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 79, p. 92). Unde apparet illo anno 1914<sup>o</sup> huius linguae usum generalem atque territorium explentem nondum ad effectum definitivum adductum fuisse.

24 Expressis verbis praeter alios locos hic scopus profertur ex. gr. in epistulā gubernii die 15<sup>o</sup> m. Nov. a. 1901<sup>o</sup> ad superintendentem Stern datā. Haec epistula exhibetur in opere, q.e. Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 299.

25 Johanna EGGERT (1970), p. 90 existimat gubernii manifeste non interfuisse linguam Theodiscam dissipare. Idem enim suasiones atque praecepta in patriā exaratā quadamtenus quidem explevisse, sed modum minimum non esse egressum.

26 Ut Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 270 sq. adnotat, lingua Swahilica decursū temporis maius momentum accepit quam instrumentum ad linguam Theodiscam docendam esse. Nam extantā mobilitate operariorum etiam tribūs gentesque magis quam antea inter se miscebantur, quā de causā talibus in humanis societatibus mixtis lingua Swahilica maioris ponderis facta sit.



Tamen haec quōque «factio» quoad quaestionem loquelarem in se divisa erat. Itaque in singulis scholis missionariis quaestio aliter solvebatur dependens a perceptione societatis missionariae, quae scholam instituit, et ab eiusdem confessione.<sup>27</sup> Distinguendum vero est inter missiones catholicas atque Anglicanas unā ex parte et missiones protestanticas alterā ex parte, quae ex causis propriis diversas vias sequebantur.<sup>28</sup>

Patres Spiritūs Sancti, Patres Albi et Anglicana «Universitatum Missio Africae Centralis», qui omnes - uti iam commemoratum est - iam ante adventum Germanorum in Africā Orientali operabantur, pro laboribus suis rem iam decreverant atque decretum non iam mutaverunt. Id est in scholis suis linguam Swahilicam docebant et, ubicumque fieri potuit, eandem ut linguam institutionis habendae adhibebant.<sup>29</sup> Tamen localibus linguis vernaculis utebantur, cum in regionibus interioribus ageretur de adultis euangelizandis. Sed linguas vernaculas interdum etiam in primis initiis institutionis parvulorum adhibebant. Benedictini, cum in initio temporis Germanici advenirent, hanc rationem secuti sunt, cum methodum esse practicam intellexisse viderentur.<sup>30</sup> Omnibus autem in Africanis scholis missionariis Benedictinorum

---

27 Generaliter de linguarum usū societatum missionariarum *cf.* ex. gr. A.R. THOMPSON: Historical survey. *In*: Allan J. GOTTFREID (ed.) (1974), p. 19; Martin SCHLUNK: Schulen für Eingeborene (1914), p. 143; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), pp. 259 sq.; Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 282 sqq.; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? *In*: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), pp. 287 sqq.

28 Itaque non ita opportunum esse videtur, si in inquisitionibus de hōc themate agentibus saepe tantummodo de «missione» sermo est, quia talis sententia nimis generalis realitati multo subtiliore non convenit et differentias satis magnas non respicit. - Sic ex. gr. J. CAMERON / W.A. DODD (1970), p. 54; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 259; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? *In*: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), p. 290.

29 Missiones catholicae, quod attinet ad linguam Swahilicam, eandem opinionem habebant, sed quoad scopum educationis aliquatenus inter se differebant. Nam Patribus Spiritūs Sancti et Benedictinis eruditio elementaria maioris partis populi erat magni momenti (quā perceptione nonnulla instituta ad magistros erudiendos non excluderentur) et Patres Albi putabant officium suum principale potius in eo esse, ut seminaria ad sacerdotes indigenas instruendos instituerent.

30 Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 284 putat causam huius modi procedendi fuisse in eo, quod Benedictinorum centrum in urbe Daressalam erat et iisdem coniunctio cum urbe capite coloniae semper magni momenti erat. Dicit autem eadem omnes Benedictinorum Superiores semper curavisse, ut missio Benedictina contactum artum cum administratione coloniali haberet. (Ceterum Ann Brumfit hōc in conexū P.rem Maurum Hartmann falso nominat episcopum). Revera

lingua Swahilica docebatur. Nihilominus Benedictini - sicuti etiam Patres Spiritūs Sancti - in scholis, quae gradum elementarium superaverunt, cursūs linguae Theodiscae susceperunt, qui tamen breviores neque nimis profundi frequentesque erant.

Missionariae vero societates protestanticae, quae maiore ex parte originis Germanicae erant atque post adventum Germanorum opera sua susceperant, in quaestione loquelari alium modum procedendi exhibuerunt, qui cum eorum perceptione laboris missionarii artē cohaerebat.<sup>31</sup> Nam protestantes ex principiis suis etiam theoretice fundatis ad locales linguas vernaculas indigenarum recurrerunt.

Missionariae societates Berolinensium I<sup>32</sup>, Fratrum Consociationis Herrnhutiensis (sive Unitatis Fratrum)<sup>33</sup> atque missionis Lipsiensis<sup>34</sup> quidem opera

---

Benedictini sedem centralem et deinde episcopalem consulto in urbe Daressalam instituerunt, quia consilia decretaque gubernii satis mature percipere voluerunt, ut, si quid ad missionem spectans vel missioni negativum exhiberetur vel si missioni quaedam impedimenta praepararentur, in tempore contra has res se vertere atque - quantum fieri potuit - in aliam directionem dirigere possent. - Praeterea Benedictini fortasse modum aliarum missionum catholicarum secuti sunt, cum illo tempore, quo sine propriā experientiā missionariā advenenerunt, consilia auxiliumque a Patribus Spiritūs Sancti acceperunt.

- 31 De perceptione protestanticā hac in re *cf.* ex. gr. Johanna EGGERT (1970), pp. 42 sqq.; Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 289 sqq.; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? In: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), pp. 292 sqq.; Wolfgang MEHNERT: Language question. In: Thea BÜTTNER / Gerhard BREHME (edd.) (1973), pp. 387 sqq.; Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), p. 259.
- 32 «Societas Missioni Euangelicae inter Paganos Fovendae» [*«Gesellschaft zur Förderung der Evangelischen Mission unter den Heiden»*] anno 1824<sup>o</sup> Berolini condita est. Anno 1929<sup>o</sup> eius proprium institutum missionarium Berolini opera sua suscepit. Primi missionarii huius consociationis inde ex anno 1829<sup>o</sup> in Africā Meridionali labores missionarios susceperunt, antequam denique anno 1891<sup>o</sup> in Africā Orientali iuxta lacum Nyassae operari coeperunt.
- 33 Fratrum Consociatio Herrnhutiensis est fundatio Comitis Nicolai Ludivici von Zintzendorf, qui anno 1722<sup>o</sup> exulibus Fratribus Bohemicis, qui dicuntur, in praedio suo in Lusatiā Superiore [*Oberlausitz*] sito profugium praebuit. Herrnhutienses, etiamsi semet ipsos supra-confessionales esse dicunt, Confessionem Augustanam profitentur. Haec Consociatio decursū temporis imprimis propter opera missionaria totum in orbem terrarum extendebatur.
- 34 Societas missionaria Lipsiensis anno 1847<sup>o</sup> ex Consociatione Dresdensi (1836<sup>o</sup> condita) exorta erat eiusque sedes principalis Lipsiam transponebatur. Societas Lipsiensis pertinet ad ecclesiam euangelico-Lutheranam. Iam anno 1840<sup>o</sup> Consociatio Dresdensis opera


sua in regionibus interioribus Africae Orientalis incohaverunt, quā de causā opportunum esse videbatur linguas singularum gentium ad euangelizandum adhibere, quia lingua Swahilica ad has regiones magis remotas nondum ita progressa erat. Tamen ex his condicionibus geographicis primarum stationum principium non explicatur, sed ex generalibus deliberationibus theoreticis exoritur. Nam unā ex parte euangelizatio protestantium imprimis spectabat ad adultos, id est ad homines, qui satis maturi erant, ut ipsi de fide decernere possent. Quā de causā euangelizatio necessario linguā vernāculā fieri debuit. Sed maioris momenti erat argumentum, quō euangelizatione natura gentis servanda erat, et ad hōc speciatim pertinebat lingua vernacula servanda. Fides enim Christiana secundum eorum opinionem tantummodo in gente quādam inhaerere atque radices agere potest, cum linguā maternā ei tradatur. Cum hōc principium eis esset fundamentale atque centrale, protestantes in hunc modum progrediendi insistebant.<sup>35</sup> Tamen difficultates quaedam in ipsis operibus atque copias laborum, qui impendendi erant in multis linguis vernaculis addiscendis atque in libros iisdem exaratos conscribendos, iam praevideri possunt, cum de plurimis localibus linguis vernaculis in Africā Orientali exstantibus cogitemus.<sup>36</sup>

Cuius autem momenti in Africā Orientali societates missionariae et catholicae et protestantes fuerint atque qualem effectum exseruerint, iam hac delineatione, quā areae operatoriae singularum societatum missionariorum conspiciuntur, demonstratur.<sup>37</sup>

---

missionaria in Indiā suscepit. Denique 1893° Lipsienses etiam in Africā missionem instituerunt atque in regione Kilimandscharo fidem Christianam propagaverunt.

- 35 Iam Gustavus Warneck, fundator euangelicae missiologiae, huiusmodi principia posuerat, quae missionarii protestantici ex propriā quōque persuasione sequebantur. - *Cfr* ex. gr. Gustav WARNECK: *Evangelische Missionslehre*. 3,1: *Der Betrieb der Sendung*. Gotha <sup>2</sup>1902, p. 17, p. 57, p. 270.
- 36 Nihilominus ipsum principium bene intellegitur. Hunc in modum missionarii protestantici etiam multum effecerunt, quod attinet ad linguas scripto modo instituendas, ad versiones in linguas vernaculas faciendas, ad litteraturam his in linguis creandam, etc. Sic ad tales linguas servandas multum attribuerunt.
- 37 Tamen hac in delineatione solum stationes principales singularum societatum missionariorum exhibentur, numerosae vero stationes secundariae sive externae propter conspectum servandum non insertae sunt.
- 38 Ann Brumfit hōc locō annum 1889<sup>um</sup> indicat, quod non prorsus exactum est, cum Benedictinorum statio in loco Pugu sita mense Februario a. 1888° condita sit.



*Areae operatoriae singularum societatum missionariorum.*

*(Numeri spectant chornologice ad adventum singularum societatum).*

*Missionariae stationes catholicae*

1. Patres Spiritūs Sancti (1878)
4. Patres Albi (1879)  
(+ Trappistae (1898))
6. Benedictini (1888)<sup>38</sup>

*Missionariae stationes protestanticae*

2. Universitatum Missio Africae Centralis (1871)
3. Ecclesiastica Societas Missionaria (1876)
5. Societas Berolinensis III (1887)  
(+ Consociatio Africana (1896))
7. Societas Berolinensis I (1891)
8. Consociatio Herrnhutiensis (1891)
9. Lutherani Lipsienses (1893)
10. Adventistae Septem Dierum (1903)
11. Americana Missio Regionum Interiorum (1910)
12. Neoecclesienses (1911)
13. Brecklumenses (1912)

*[Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 285.]*

Itaque earum sententia earumque modus progrediendi in rebus scholaribus atque in quaestione loquelari non erant neglegendi, imprimis quadamtenus respiciendi erant, cum ageretur et de dissensionibus et de cooperatione.

Primum problema, quod imprimis missionarii protestantici proferebant, cohaerebat cum linguā Swahilicā diffundendā atque in scholis docendā adhibendāque.<sup>39</sup> Nam eadem non solum erat contra protestanticum princi-

---

39 Quod attinet ad ipsos Africanos, Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 238 existimat non exstare ullum indicium indigenas linguam Swahilicam repudiare voluisse (non respectā quaestione, num facultatem repudiandi habuissent).

pium localium linguarum vernacularum, sed etiam aliud periculum exstare videbatur. Quia enim in scholis regiminis - uti iam commemoratum est - institutio religiosa (etiam Christiana) consulto non fiebat, discipuli earum plerique erant Muslimi, in illis scholis lingua Swahilica docebatur adhibebaturque et ab futuris administratoribus inferioribus (plerisque Muslimis) magis dissipabatur, praesertim missionarii protestantici timebant, ne unā cum linguā Swahilicā religio Islamica per totum territorium magis magisque extenderetur.<sup>40</sup> Quae dubitationes in initio versimiliter non omnino falsae erant, nihilominus aliquatenus exaggeratae.<sup>41</sup> Itaque illi missionarii scholis regiminis opprobrio dederunt eas Islamismo eiusque extentioni favere.<sup>42</sup> Hic vero timor, quo putabatur lingua Swahilica esse instrumentum ad Islamismum evulgandum, in patriā quōque Germanicā vigeat et etiam effectum exseruit in disputationes consultaque parlamenti. Sic iam anno 1900<sup>o</sup> consultum commissionis dispensationis oeconomicae faciendae promulgatum est, quo de talibus thematis agebatur et quō quaestio loquularis quōque tractabatur.<sup>43</sup> Videntur autem omnes, ad quos hōc consultum spectabat, quaedam puncta variis modis, id est secundum propriam perceptionem intellexisse. Missionariae societates protestanticae diu contra usum linguae Swahilicae pugnaverunt.<sup>44</sup> Tamen gubernii colonialis intererat in rebus scholaribus, quae

---

40 De hac re *cf.* ex. gr. Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 92; Johanna EGGERT (1970), pp. 69 sqq.; Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 241 sqq.; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? In: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), pp. 291 sq.; Hans-Joachim NIESEL: Kolonialverwaltung und Missionen in Deutsch-Ostafrika 1890-1914. Berlin 1971, pp. 283 sq.

41 «Periculum» partim iam minutum fuisse periti dicunt, cum iussu gubernii inde a decennio nono saeculi undevicesimi lingua Swahilica, quae usque ad hōc temporis momentum scripturā Arabicā scribebatur, tantummodo litteris Latinis scriberetur. - *Cfr.* ex. gr. Martin SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 92; Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 274; Johanna EGGERT (1970), pp. 79 sq.; Christel ADICK: Muttersprachliche und fremdsprachliche Bildung. In: Bildung und Erziehung 46, 1993, p. 290.

42 Sictū dignum est Martinum SCHLUNK: Schulwesen (1914), p. 93 has difficultates breviter commemorans putavisse dubitationes contra linguam Swahilicam prolatas non graves existimandas esse, cum huius sermonis emolumenta essent multo maiora.

43 Johanna EGGERT (1970), pp. 71 sqq. de hōc consulto fusius atque diligenter refert eius conexūs, sequelas problemataque clare monstrans. Eadem etiam recte diiudicat responsales in Germaniā condiciones in coloniā vigentes non vere perspectas habuisse.

44 Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 293 certe recte iudicat protestantes, cum in usum linguarum vernacularum insisterent, directe contra politicam gubernii se vertisse, quod linguae Swahilicae firmum fundamentum toto

non solum ad quaestionem loquelarem spectabant, cum missionariis utriusque confessionis saltem cooperationem quandam instituere. Quaedam conamina interdum facta sunt,<sup>45</sup> quae tamen ad solutionem definitivam non duxerunt, cum singuli participes consultationum scopos atque perceptiones diversas haberent. Sic ex. gr. constituebatur, ut omnibus scholis - etiam missionariis -, quae bonos effectūs in linguā Theodiscā docendā monstrarent, praemia pecuniaria praberentur. Nihilominus scholis missionariis hōc rarissime contigit. Sed quamvis praemia pecuniaria, cum ageretur de linguā Swahilicā docendā, officialiter praebere non possent, scholae missionariae tamen subsidia quaedam acceperunt in formā librorum scholarium Swahilice exaratorum.<sup>46</sup> Talia utrique parti profuerunt, nempe et gubernio in desiderio linguae Swahilicae diffundendae et scholis missionariis, quae pecuniam pro libris scholaribus erogare coacti non erant neque ipsi tales libros componere debuerunt.

Anno 1912<sup>o</sup> conventus consultorius institutus est, quō gubernium atque missiones utriusque confessionis de novo scholari libro elementario consule-re voluerunt.<sup>47</sup> Hunc conventum praeordinaverat statalis inspector scholarum regiminis nomine Ramlow in urbe Daressalam. Participaverunt autem quattuor magistri publici ut repraesentantes scholarum regiminis, superintendens Martinus Klamroth ut repraesentans societatum missionariarum protestanticarum et episcopus Thomas Spreiter OSB ut repraesentans societatum missionariarum catholicarum. Participes inter se convēnerunt, ut scholaris liber elementarius ita modificaretur, ut etiam argumenta biblica insererentur atque argumenta Islamica solum modo reducto exhiberentur. Hunc librum protestantes quōque saltem in regionibus, in quibus lingua Swahilica erat in usū, adhibere parati erant. Tamen de ipsā linguā, quā ille liber scholaris exaratus erat, nulla disputatio iam erat, cum scilicet esset lingua Swahilica. Ille conventus erat gressus quidam in directionem in rebus scholaribus cooperandi, sed ad verum effectum adduci non iam potuit, quia tempus Germanicum in Africā Orientali iam ad finem vergebat.

---

in territorio dare voluit.

45 Tale conamen erat ex. gr. «Conventio Benedictinorum», quo praeter alia etiam de usū linguae Theodiscae agebatur. - *Cfr* supra cap. 4.12.2.1.

46 *Cfr* ex. gr. Johanna EGGERT (1970), pp. 87 sqq.; Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, pp. 249 sqq.; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? In: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), pp. 292 sq.

47 *Cfr* Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 256, p. 302.

Missionariae societates catholicae pauciora problemata habuerunt, quod attinet ad quaestionem linguarum, saltem cum ageretur de linguā Swahiliā.<sup>48</sup> De Benedictinis ex. gr. scimus eos in scholis suis linguam Swahilicam fovisse atque pro eādem quōque intercessisse. Iam Praefectus Apostolicus P. Maurus Hartmann linguam Swahilicam in missionarias scholas Benedictinas introduxerat et eius successores Vicarii Apostolici hac in re nihil mutaverant. Imprimis episcopus Thomas Spreiter, qui fervidus propagator scholarum erat, saepius in favorem linguae Swahilicae (et contra linguam Theodiscam) opinionem suam protulit.<sup>49</sup> Sed reliquae missionariae societates catholicae

---

48 Ann BRUMFIT: Language Policy. In: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 256, p. 293 existimat protestantes minus paratos fuisse quam catholicos postulata regiminis exsequi. Hōc inde evenire, quia missiones catholicae ex traditione coniunctae fuerint cum ecclesiā institutionibus magis ordinatā atque magis ad centrum quoddam directā, quae ecclesia artius cum re publicā concordaret. Tamen haec interpretatio non omnino convenire mihi videtur, cum cogitemus de conflictatione culturali, de suspicione, cui ecclesia catholica illo tempore subiecta erat et quā dicebatur catholicos propter illum centralismum ad Romam directum non esse cives rei publicae fideles, de aliis dissensionibus, quae cum gubernio in coloniā exortae sunt, etc.

49 Sic ex. gr. Thomas Spreiter in relatione annuā ad gubernium coloniale die 18 m. Iul. 1912 directā, p. 3 (ASO, Z.1.08) scripsit illis in regionibus, in quibus lingua Swahilica non esset indigena, curam huius sermonis specialiter respici. Praeterea optabile esse praemia praebitum iri non solum pro institutione Theodiscā, sed etiam pro institutione Swahiliā. Similiter idem in epistolā circulari die 14 m. Iul. a. 1913 ad omnes Superiores stationum atque ad alios Vicarios Apostolicos directā (ASO, Z.1.01) causas enumeravit, quibus utilitas linguae Swahilicae demonstratur. Hae vero causae erant argumenta, quae in petitione adhiberentur, quā praemia etiam pro linguā Swahiliā docendā divulgandāque rogarentur. In epistolā die 3 m. Sept. a. 1913 ad deputatum Mathiam Erzberger directā (ASO, Z.1.04) Thomas Spreiter scripsit secundum sententiam suam in Africā Orientali linguam Theodiscam fovere sine usū esse, cum ibidem vigeret lingua Swahilica facile addiscenda.

Hōc in conexū etiam breviter commemoranda est opinio, quam Ottiliensis Abbas Norbertus Weber hac in quaestione habuit et quae paulo differt ab sententiā episcopi atque missionariorum. Nam Abbas, quod attinet ad linguam Theodiscam docendam, idem quidem sensit ac missionarii sui, id est eam non opportunam esse in scholis elementariis, sed in iisdem scholis elementariis linguam Swahilicam docere putavit non esse bonum, cum ageretur de regione, in quā maior tribus proprium sermonem habens habitat. Sic enim locales linguas vernaculas destrui. Has vero linguas maternas in primā educatione esse omnino necessarias atque magnum damnum exoriri, si missionarii linguā indigenarum carentes contactum cum eis amitterent. (*Cfr* Norbert WEBER: Euntes in mundum universum. St. Ottilien 1908, pp. 68 sqq.; Norbert WEBER: Ziele und Wege der Eingeborenen-Erziehung. In: Verhandlungen des deutschen Kolonialkongresses 1910 zu Berlin am 6., 7. und 8. Oktober 1910. Berlin 1910, p. 679). - Hac opinione Norbertus Weber persuasioni protestantium magis propinquus fuisse videtur.

eandem sententiam habuerunt.<sup>50</sup>

Tamen inde ex anno 1908<sup>o</sup> protestantes quōque paulatim et aliquatenus, sed solum sub condicionibus quibusdam principium suum modificare et ad linguam Swahilicam se convertere coeperunt.<sup>51</sup> Nihilominus non «tota mundi scaena» hunc in modum mutabatur.<sup>52</sup> Nam unā ex parte missionarii protestantici agnoscebant linguam Swahilicam esse utile instrumentum communicationis et eandem interea linguam communem Africae Orientalis factam esse. Itaque hanc linguam in scholis missionariis superioribus et in talibus scholis elementariis adhibere voluerunt, quae in regionibus sitae erant, in quibus plures sermones insimul erant in usū. Intellexerant enim Africanos propter statum, quem lingua Swahilica interea adepta erat, institutionem eiusdem desiderare et itaque scholas missionarias, in quibus lingua Swahilica docebatur, maiorem frequentiam discipulorum habere. Tamen principium suum servaverunt et pro localibus linguis vernaculis pugnare perrexerunt, cum putarent se in gente euangelizandā solum iisdem animos hominum attingere valere.

Quaestio autem linguarum in Africā Orientali tempore coloniae Germanicae transacto nondum erat finita. Nam postquam Angli territorium susceperunt, similes deliberationes, dissensiones consultationesque de usū linguae Swahilicae per aliquod spatium temporis continuatae sunt.<sup>53</sup>

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 209, 2017, pp. 355-370]

---

50 Hoc apparet ex. gr. ex epistulā, quam Adolfus [*Adolphe*] Lechaptois, Vicarius Apostolicus Tanganyikae, die 10 m. Oct. a. 1913 ad Thomam Spreiter direxit. - *Cfr* Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT (2001), pp. 301 sq.

51 *Cfr* ex. gr. Johanna EGGERT (1970), p. 75; Ann BRUMFIT: Language Policy. *In*: Sprache und Geschichte in Afrika 2, 1980, p. 296; Armin OWZAR: Swahili oder Deutsch? *In*: Mark HÄBERLEIN / Alexander KEESE (edd.) (2010), pp. 293 sq.; Horst Gründer: Christliche Mission (1982), p. 235.

52 Significantia pro hac «mutatione» sunt ea, quae Karl AXENFELD: Die Sprachenfrage in Ostafrika vom Standpunkt der Mission aus betrachtet. *In*: Allgemeine Missionszeitschrift 35, 1908, pp. 561 sqq. protulit.

53 *Cfr* ex. gr. Franz-Solan SCHÄPPI: Die katholische Missionsschule im ehemaligen Deutsch-Ostafrika. Paderborn 1937, pp. 280 sqq.; A.R. THOMPSON: Historical survey. *In*: Allan J. GOTTFELD (ed.) (1976), pp. 37 sqq.; Johanna EGGERT (1970), pp. 199 sqq.; John ILIFFE (1979), pp. 338 sq.